

LXXIII. SORA (Sora). Tribu Romilia.

Sora ad Lirim amnem Volscorum oppidum extremum in confiniis Samnii (Liv. 7, 28. 10, 1) expugnata est a Romanis a. u. c. 409 (Liv. 7, 28). Exorto deinde bello Samnitico cum praesidio adversus hostes custodiretur, anno 439 Sorani interfectis praesidiariis sese Samnitibus tradiderunt (Diodorus 19, 72: Σαμνῖται . . . Σωρανοῦς ἔπεισαν κατασφάζει μὲν τοὺς παρ' αὐτοῖς Ῥωμαίους, συμμαχίαν δὲ πρὸς Σαμνίτας συνθέσθαι; Livius 9, 23, ubi praesidiarii Romani male mutati sunt in colonos); sed anno aut 440 (secundum Livium) aut 442 (secundum tabulam triumphorum) Romani oppido denuo potiti sunt poenasque sumpserunt Soranis CCXXV Romam adductis ibique in foro securi percussis (Liv. 9, 24). Anno rursus 448 Samnites Soram vi expugnarunt (Diodorus 20, 80: Σαμνῖται Σώραν καὶ Καιατίαν [cf. p. 444] πόλεις Ῥωμαίοις συμμαχοῦσας ἐκπολιορκήσαντες ἐξηγδραποδίσαντο; Livius 9, 43: Caiatia et Sora praesidiaque quae in iis Romana erant expugnata et in captivorum corpora militum foede saevitum); receperunt eam Romani anno insequenti (Diodorus 20, 90; Livius 9, 44; vide supra p. 556). Mox a. 451 colonia Soram deducta est iuris Latini hominum quattuor milium (Liv. 10, 1; Vellei. 1, 14). Nominatur inter eas, quae bello Hannibalico cum milites ex foedere Romanis non praebuissent, propterea poenam subierunt (Liv. 29, 15, ubi cum Spirensis libri apographa Soram habeant, iam de lectione decisum est, et ita hoc quoque certum est 27, 10, ubi Spirensis deficit, in mutilo eo libri Puteani non Coram latere, sed Soram). Ad civitatem Sorani pervenerunt sine dubio cum reliquo Latio bello Italico. — Civium coloniam eo deductam esse a triumviris rei publicae constituendae vel inde colligitur, quod chorographia divi Augusti, a qua pendet Plinius 3, 5, 63, Soram ponit in coloniis; index quoque coloniarum p. 237: Sora, inquit, muro ducta colonia iussu Caesaris Augusti: iter populo debetur ped. XV: ager eius limitibus Augusteis veteranis est adsignatus. Confirmant id tituli duo n. 5711, ubi appellatur colonia Iulia pra, et n. 5713 positus paulo post coloniam deductam, ubi quae nominatur legio quarta Sorana, eam probabile est Sorae potissimum conscriptam esse a triumviris eodemque ab iisdem post victoriam deductam (vide adnotationem). Colonia deinde mansit (n. 5670). Veteranos etiam sub imperatoribus eo deductos esse effici videtur ex fragmento hoc grammatici corporis p. 244 corrupto licet et principio carente: in forma Sorana Starium Virum militem datum a Metellio Nepotem p(raefecto) u(rbis) v(iro) c(larissimo) IIII k. Aug. Marco Antonio triumviro et Ambibalo cos.,

id est M. Annio Vero III et Ambibulo cos., a. p. Chr. 426. Praeterea quoque hic illic commemoratur (Cicero pro Planc. 9, 22; Strabo 5, 3, 10 p. 238; Silius 8, 396; Iuvenalis 3, 223; Ptolemaeus 3, 1, 63). Magistratus fuerunt ante coloniam deductam quattuorviri iure dicundo (n. 5713 cum adn.), postea modo duoviri quinquennales (n. 5670. 5714), modo duoviri nude (n. 5670), item praefecti iure dicundo (n. 5714), aediles (n. 5714; item in titulo Aquileiensi vol. V n. 976: P. Caesius P. f. Rom. aedilis Sorae, publicanus Romae), viocurus (n. 5714). Nominantur item pontifices (n. 5713. 5716) et sexviri (n. 5715), denique cultores Silvani (n. 5709). Tribum Soranorum fuisse Romiliam praeter titulos domesticos non paucos ostendunt urbanus vol. I p. XI n. 31 M. Camurii P. f. Rom. Sorani et Aquileiensi modo allegatus.

Ad auctores ut veniamus, Soranam unam affert IVCVNDVS, aliquot ACCVRSIVS et auctor MANVTH cod. Vat. 5237 f. 233. Ab hoc inde tempore per plus duo saecula neque exteri neque indigenae ad Soranas antiquitates attenderunt; nam quae interim prodierunt Soranarum rerum enarrationes Francisci TVZII (*memorie storiche massimamente sagre della città di Sora. Romae 1727. 4*) et Iohannis LISII (*historia Sorana. Romae 1728. 12. pp. 140*), earum illa nihil, haec parum nobis profuit. Saeculo demum XVIII exeunte praeter Anglum HOARE, qui in hoc agro quaedam excepit, utilem Soranis universique agri vicini epigrammatis operam navavit Ferdinandus PISTILLI, cuius libri (*descrizione storico-filologica delle antiche e moderne città e castelli accanto i fiumi Liri e Fibreno arricchita di vetusti monumenti in gran parte inediti*) adhibui cum priorem editionem (Neapoli 1798. 8. pp. 288) tum alteram non mediocriter auctam (Neapoli 1824. 8. pp. 491). Auctor bonus est, etsi fideliter magis quam perite titulos descripsit. Nuper qui de rebus Soranis scripsit Carlinus BRANCA (*memorie storiche della città di Sora. Neapoli 1847*) quod ad epigrammata attinet expilatis Pistillianis sibi satisfecit, neque utiliora fuerunt schediasmata Flaviani BASTARDI Sorae mihi visa. Contra Franciscus LOFFREDO (apud Cirellium *il Regno delle due Sicilie* vol. 3 p. 1—16) titulis Soranis ex editione mea priore repetitis alios de suo adiecit. Praeterea schedulas quasdam a nescio quo Sorano homine scriptas excerptis mea causa HELBIGIVS, quae titulos haberent hisce annis Sorae repertos. Denique et optimus amicus Henricus BRVNN Soram plus semel adiit titulosque ibi sua sollertia descripsit et ego anno 1876 ibi fui epigrammataque quae superessent recognovi.

5708 [= 4495] litteris venerandae vetustatis. Sorae rep. esse extra oppidum $\frac{1}{2}$ chiliom. ad radices montis S. Casti alla Rava Rossa, servatam autem cura canonici Thomae Lanna narrarunt mihi Sorani. Est in hortis ecclesiae S. Restitutae. Clava quae prostat ante eandem ecclesiam potest quidem ad idem sacrarium pertinuisse, in quo donarium hoc olim probabat; sed multo ante effossa est quam hic titulus prodit

M · P · VERTVLEIEIS · C · F
 QVOD · RE · SVA · DIVEIDENS · ASPER
 AFLEICTA · PARENS · TIMENS ·
 HEIC · VOVIT · VOTO · HOC
 5 SOLVTO deCVMA · FACTA
 POLOVCTA LEIBEREIS · LVBE
 TES · DONV · DANVNT ·
 HERCOLEI · MAXSVME
 MERETO SEMOL · TE
 10 ORANT · SE · VOTI · CREBRO
 CONDEMNES

Recognovi. Est in vol. I n. 1175 et in tabula Ritscheliana LII A. Ex Brunnii apographo, qui primus invenit, et ectypo eius chartaceo ed. buxo incisam Henzen *Bullett.* 1845 p. 71, mus. Rhen. V p. 70, syll. 5733. Loffredo apud Cirellium p. 5.

Versus sunt Saturnii interstitiis in ipso lapide separati. — 2 in ASPER finit lapis neque E ibi fuit. — 5 so in soluto in ipso lapide dignoscere non potui. — 6 fin. LVBE lapis, nec fuit ibi LVBEN.

5709. 5710 M p. fere supra Soram in regione q. d. Rava Rossa incisae in rupe dicta la Portella della fate.

5709 aedicula, in qua statua affixa fuit
 CVLTORES
 SILVANI
 CVR
 M · ALBIO AIERO

5710 aedicula, in qua statua affixa fuit
 L · SABIDIVS · M · F · MOR · sic
 D · D

Descripsi. Manutius Vat. 5237 f. 233; Loffredus apud Cirellium p. 8; A. de Nino apud Fio-rellium *Not. degli scavi* 1879 p. 119.

5710, 1 fortasse pro MOR incidi debuit ROM.